IOHANNIS GEORGII GRAEVII ORATIO INAUGURALIS PRO LITTERIS. HABITA ULTRAJECTI A.D. 13...

Johann Georg Graevius, Valenti Gonzaga



Nobilissimis, & Amplissimis Viris

CONSULIBUS, SENATORIBUS ac MAGISTRATIBUS

Inclytæ Reipublicę TRAJECTINÆ.



Uam sollemni inaugurationis meæ festivitate, more quidem majorum, vestro tamen, Patres Amplissimi, jussu recitavi oratiunculam, eam nunc vestra quoque auctoritate typis descriptam ad vos fero. Si meo animo mihi licuisset obsequi potius quam vestræ voluntati, a qua discrepare bono civi piaculum est, nunquam illam sivissem prodire. Præstabat enim domi eam latere & inter alias perire chartas; quam publice censorum asperitate jugulari. Pauci quidem sunt præcipue hac tempestate qui de his studiis possunt in consilium mitti, omnes tamen passim videas sententiam ferre de iis qui legendum aliquid etiam non publici saporis proponunt. Quo quisque est imperitior, & rerum, quæ ad hanc causam cognoscendam requiruntur, hoc est, indolis Latinæ linguæ, interiorum litterarum, artis emendate, apte, ornate ac distincte dicendi rudior, tanto facilius & audacius pronun-

tiat. Sed ut horum petulantia nemo commovebitur, nisi qui putat ſibi quaſi portiſculum publice eſſe datum ad omnium ora cohibenda &laxanda: Sic paucorum illorum, qui ſuperſtites dignitatem rei litterariæ ſuſtinent, cum quibus litteræ ipſæ, ut nunc eſt, aliquando efferentur, (cohorreſco ſane quando Europam noſtram circumſpicio & penuriam doctorum, veræque eruditionis contemtum cogito) judicia non revereri, aut hominis eſt arrogantis & effrontis, aut ſuæ exiſtimationis poſteritatiſque ſecuri. Ab utroque hominum genere mea ratio alieniſſima eſt, qui antiquiſſimum duco illis paucis placere, quorum judicium malo quam omnium aliorum, & Vobis, Viri Summates, meam obſervantiam, obſequium, contentionemque in mandatis mihi partibus bene, & cum fructu noſtrorum adoleſcentum gerendis probare. In hoc mihi omnia ſunt. Valete, Illuſtres Domini, & quam ſecundis auribus vos audiviſſe orationem hæc veſtra de illa edenda voluntas declarat, eam nunc a legentibus non reſpui & adducta fronte excipi opto. Alias melius, ſi vivo, & vobis dignius munus offeram. Trajecti ad Rhenum Kal. Nov. cIↄ Iↄc LXI.

JOHANNIS GEORGII GRÆVII

ORATIO INAUGURALIS.

ILLUSTRES AC PRÆPOTENTES D. D. ORDINES, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI DOMINI, PRÆTOR, CONSULES, SENATORES, ACADEMIÆ CURATORES, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGÆ HONORANDI, REVERENDI PRÆCONES VERBI DIVINI, PRÆSTANTISSIMI DOCTORES, MAGISTRI; CIVES, OMNIUM ORDINUM AC GRADUUM HOSPITES ORNATISSIMI, VOSQUE JUVENES LECTISSIMI, MUSARUM, PATRIÆ, PARENTUMQUE DELICIÆ.



MAgnopere vellem vobis hoc officium, mihi vero in hoc loco dicendi necessitatem quam mihi ista dies imponit, licuisset compendifacere. Præstaret enim nec vos desiderare celeberrimum ÆMILIUM, cœlo nuper redonatum, cujus disertissima voce magna cum audientium delectatione & applausu istæ exedræ & pulpita tot annos personuerunt, quique ante hos vi-

 ginti

inti ſex annos poſtem manu tenens ſollemni nuncupatio-
nis carmine iſtam Muſarum ædem dedicavit: nec me tantæ
molis, tantæ exſpectationis, ac tam ardui laboris provin-
ciam ſuſcipere. Romanorum Imperator Otho, quum ex ſorte
privata ad tractationem ſummæ rei ambitione populari e-
merſiſſet, ſecumque cogitaſſet quantam ſubiiſſet aleam,
quam obnoxius ac trepidus in illo faſtigio ageret, quanta
curarum, ſollicitudinum, variorumque caſuum moles ar-
ces ac diademata premeret, temeritatis ſuæ pœnitentiam
teſtatus perhibetur in hanc vocem erupiſſe: τί γὰρ καί μοι μα-
κροῖς αὐλοῖς; Num & mihi longis tibiis fuit canendum? Iſtud
Cæſaris dictum mihi etiam, qui me ex tranquillo quaſi mu-
nicipio ac ſeceſſu, Daventrienſium Gymnaſio, non obſcu-
ro illo quidem, ſed bonarum artium; præſertim elegantio-
rum litterarum cultu ac diſciplina, præcipue vero magno
deceſſore meo commemorando, in celeberrimam ac per-
quam negotioſam urbem, in hanc florentiſſimam orbis Eu-
ropæi Academiam, in iſtum Fœderati Belgii ocellum, in tan-
tam hominum lucem, in conſpectiſſimum hoc artium ac
diſciplinarum theatrum paſſus ſum produci, mihi, inquam,
iſtud Cæſaris dictum quiſpiam forſan haud abſurde inſuſur-
raret: Nunquid & tibi fuit canendum longis tibiis? Intelli-
go enim quantam exſpectationem ſuſtineam, quantum
ſpecimen in eruditionis ac facundię experimentum iſtę tot
graviſſimorum ac eruditiſſimorum virorum conſeſſus, iſta
omnium in me converſa ora flagitent, quanta in poſterum
documenta cottidie in ſcholis publicis ac domeſticis hic
lectiſſimorum juvenum ex toto orbe confluxus exigat. Sa-
ne, ſi tanta in me eſſet ingenii vis, aut dicendi facultas,
tantave doctrinæ copia, quantam poſtulat dignitas iſtius
perſonę, quę mihi hodie eminentiſſimorum hujus urbis
Magiſtratuum auſpiciis, ac auctoritate, veſtraque, Pa-
tres Academici, ſecunda ſuffragatione imponitur, ma-
gnam ex hac ſollemnitate voluptatem caperem, præſenti-
que

que animo ad dicendum, quod nunc more ac instituto majorum faciendum est, surgerem, ac prodirem. Quid enim vel conceptissimis votis majus a diis immortalibus optare poteram, quam tot annorum labores, impensas, operamque in doctrinæ studia collatam cum dulcissimis fructibus ac egregiis præmiis compensari, latissima exhibendis virtutibus laxari spatia, & in celeberrimo hoc bonarum artium mercatu pretiosas illas Musarum merces cupidæ juventuti deferre? Si artifices scenici, aliique qui ludicris se tuentur artibus exultant, quando ludis, aut gladiatoribus in magni populi corona virium artiumque edere experimenta, & in omnium oculis licet ipsis exhibere, quę dudum in ludis suis sunt meditati: quid ni ingenti efferantur gaudio disciplinis optimarum artium eruditi, quum diligentię & vigiliis ipsorum honos habetur, magnoque spectantur theatro? Mihi sane, cui hæc omnia cum maxime tribuuntur, incredibilem afferrent voluptatem, si expectationi vestræ & votis meis rerumque tractandarum majestati responderet facultas. At quum diligenter rationes hujus instituti mecum ineo, & apud animum tum loci, in quo verba mihi facienda sunt, amplitudinem, tum audientium, qui, relictis rebus, pręsentia sua hanc recitationem cohonestant, dignitatem, tum etiam studiorum, ad quę interpretanda accitus sum, magnitudinem, & varietatem reputo, pariterque curtam meam supellectilem excussa, quæ in tergo est, mantica, recognosco, non abest quin conturber ac contremiscam. Ingenii enim mei macies ac imbecillitas non patitur me ignorare quam longe ab his titulis absim, quos litterarum, quæ mihi præcipiendæ sunt, ubertas requirit, neque eo inficias, qui mihi nunquam blandior, aliis autem tribuo semper plurimum.

Rubiconem tamen hunc transii, nec licet salvo pudore ac dignitate pedem referre retro. Quin & cunctationem istam tanquam humilis & abjecti animi multi aversari mihi videntur. Confirmat me vestra, Patres Conscripti, auctoritas,

ritas, cui parere quæ invidia eſt? Erigit me veſtrum judicium, de quo judicare religio mihi fuit, quum æquiſſimi ingeniorum alienæque induſtriæ arbitri ſedeatis; pręſertim quum mihi ipſe conſcius ſim, nec vos fugiat, me nullis malis artibus, nulla prenſatione, ac largitione hunc locum quęſiviſſe. Cum pleriſque omnibus ita comparatum eſt ut iniqui ſimus rerum noſtrarum æſtimatores, aut nimis ample & elate, aut nimis demiſſe, & humiliter de nobis ipſi ſentiamus. Inde præſtat, Patres Patriæ, in diligentia & providentia veſtra, jam pridem cum maximis aliis in rebus, tum præcipue in capiendis veſtro Athenæo præſidibus ſpectata acquieſcere, quam nunc inconſulti pudoris calumnia vos obtundere, & intempeſtiva abjectaque confeſſione imbecillitatis, quam ſupplebunt induſtria, vigilię, ſudores, quibus omnia pretioſa, omnia deſiderata, omnia arcana & recondita veneunt, & a diis immortalibus nobis deferuntur. Non refrigeranda ſunt illorum ſtudia, qui non in ipſum faſtigium, & arcem quaſi omnium diſciplinarum potuerunt aut per ætatem, aut ingenii vitio eniti. Præclarum eſt, ſi ad prima non queant eluctari, in ſecundis ſubſiſtere aut tertiis. Platonis & Ariſtotelis, Homeri & Virgilii, Ciceronis & Demoſthenis capitalia ingenia alios non deterruerunt, quo minus animum ad illas appellerent artes: nec Apellis inimitabilis manus & exempla, aut Coæ Veneris pulchritudo, aut Jovis Olympii, aut Doryphori emendatiſſima ſimulacra alios; quia nequirent imitari, removerunt quo minus in tabulis ſcribendis, ſigniſve fingendis operam ac ętatem conſumerent. Nihil a me exigetis, ſpero, cui vires meæ non ſint pares, ſi cognoveritis me nullam unquam nec corporis, nec animi contentionem declinaturum, unde aliquis ad vos & hanc Academiam fructus pervenire poſſit. Ergo ad me redeo, &, diſcuſſa omni cunctatione & trepidatione, prompte & alacriter ſuccollo, quęcunque impoſita mihi ſunt & injuncta.

Te im-

Te immortalis Deus, Sator rerum & mundi Auctor, te Servator ac Sospitator orbis, Teque fons & origo omnis sapientiæ Spiritus Sanctissime, Te, inquam, trinum nomen & numen Dei unius unum supplex obtestor ac veneror, uti hæc pia cœpta bene ac feliciter proveniant, utique commissam mihi provinciam fortunes, ut Academia hęc mea etiam arte & industria indies convalescat, ac salutaribus corroboretur incrementis. Nunc quum mecum cogitem ac recenseam cujus rei causa locum hunc publica auctoritate conscenderim: non videtur mihi tempus lętiori augustiorique auspicio dedicari posse, quam si humanitatis disciplinam, cujus doctrina meæ fidei credita est, ab iniquis ejus osorum maledictis & criminationibus vindicem, illius dignitatem asseram, & ad ejus cultum studiosos adolescentes accendam. Quę mea ratio a non nullis forsan improbabitur, qui in illa disputabunt argumento promiscuis declamationibus detrito non rumpenda esse subsellia, ac auditorum aures onerandas. Sed hi reprehensores nostri instituti quin illorum in numero sint, qui adversus nostras artes veniunt, non possum a me impetrare ut ambigam. Nam quum tam infestum mansvetioribus Musis seculum currat, quum indies magis magisque studia litterarum obsolescant, quum tanta, qui eis obtrectant, sit multitudo, tam late ista, non horum tantum, pro quibus stamus, studiorum, sed omnium scientiarum ac disciplinarum pestis pertineat, quis gravetur hominem, qui pro illarum salute adversus impostores, qui incautos adolescentes ab iis abducunt, excubat, omnesque occasionis articulos bene de bono publico merendi tanquam e specula observat; nisi cui dignitas rei litterariæ odio est ac dolori, quique bellum indixit Musis earumque cultoribus? At quæ opportunior occasio rectis consiliis studiosam juventutem monendi vel cœlo posset delabi, quam istud temporis momentum, quod huic rei dictum est, ac consecratum, ut accingar ad illas artes instaurandas, quas optimi ac do-

ctiſſimi ſenis funeſtus obitus in hac Academia afflixit ac pœne extinxit? Salubria conſilia nunquam intempeſtiva ſunt, aut juſto frequentius inculcantur. Hæc enim tanquam phylacteria & amuleta adverſus ſycophantarum fraudes adhibenda, ne illis eximia ingenia auferantur. Nihil equidem huic loco, tempori & auditoribus convenientius excogitari poteſt, quam ſi operam dedero ut extirpetur funditus peſſima iſta opinio, qua corruptores illi animos ſi non omnium, certe plurimorum, ab his ſtudiis, quę humana antiquitas appellavit, alienavere calumniantes ea nugis tantum puerilibuſque Grammaticorum ac Rhetorum elementis occupari, nihil conferre neque ad laudem & gloriam conſequendam, neque ad ſalutem Reipublicæ tuendam, neque ad vitam commode exhibendam, nihil tandem iis divinarum legum ac cærimoniarum, nec prudentiæ juris, nihil artis medendi nec ſapientię ſtudium imputare. Quæ calumniæ ut ſunt peſtilentiſſimæ, ita vaniſſimas eſſe ac mendaciſſimas ex futilibus eorum argumentis, quibus improvidam juventutem circumſcribunt, cognoſcetis. Primaria & palmaria (ne longum faciam) criminatio, qua ſtudia noſtra differunt, præclaroſque adoleſcentum conatus retardant, eſt, nihil in iis momenti poſitum eſſe ad rerum publicarum tutelam & ſtabilitatem, ſed næniis tantum & quibuſdam frivolis contineri quiſquiliis. Nam quum videant eos, qui ad elegantem & veram eruditionem juventuti viam faciunt, nunquam fere gubernaculis Reipublicæ admoveri, aut rerum actibus adhiberi, non cauſas orare, non judices ſedere, non Regum amicitiam, aut Principum contubernia adfectare, non populari jactantia efferri, ſed procul omni ambitioſo tumultu domi in litteris & otio innocentem vitam decurrere, ſibi & ſuis Muſis canere, aut totos eſſe in lucubrationibus ſuis excolendis; eo dementiæ prolapſi ſunt ut decreverint nihil illos niſi poëtarum fabulas, aut hiſtoriolas quaſdam pręranci-

das

das tenere ad demulcendos pueriles animos: aut omne tempus & laborem ponere in facienda oratione, aut potius calamistris quibusdam enervanda & effœminanda. At, inquiunt, cui bono est scire quis Andromaches pater fuerit, quot liberos sustulerit Niobe, quot per annos Ulysses cucurrerit, quot Penelope vacua in frigido toro viduas noctes traduxerit, quomodo cœli obsidione exciderint Gigantes? Cui prodest nosse quis Athenarum auctor fuerit, quis Romam statuerit veterem, aut excitaverit novam, quando initiorum noctibus operati sint, quis verba minantia duodecim tabulis Romæ infixerit, qui fuerint Atheniensium Archontes, aut Lacedæmoniorum Ephori, aut Carthaginiensium Suffetes? Quem virum gravem unquam commovere poterit ista garrulitas, & vanissimus inanium vocum ac sententiarum strepitus, quem vos eloquentiam dicitis? Quando satius erat tempus iis discendis locare, quę in usu aliquando essetis habituri? Qui his minutiis & ineptiis omne ævum impendunt, a sapientia tam longe absunt, quam a suavi odore qui in culinis habitant. Sapientiæ diversorium pectus est non lingua inanes fucatarum vocum & sententiarum sonos instar torrentis effundens, quibus insidias facititis imperitorum adolescentum, aut senum pueris similium auribus. Porro quæ vanitas & levitas in explicandis oratoribus ac poëtis, vestris illis deliciis? Vos enim fabularum interpretes tantos plausus excitatis, si quando vocabulum aliquod obsoletum, quo Euandri mater olim usa est, aut abstrusam aliquam narratiunculam, aut antiquum quendam ritum eruistis, ac si pacata Asia albis quadrigis Capitolium ascenderetis, & sævissimorum hostium sex millia per ora civium traheretis. Hæc sunt fere, Auditores, quę rustici illi & ab omnibus Musis & Gratiis alienissimi calumniatores de nostri ordinis & loci hominibus grandi supercilio pronunciant, & quibus cultiores artes in contemptum & invidiam apud imperitum vulgus adducere conan-

conantur. Nec infeliciter ipsis cessit. Plurimorum enim adolescentum ad magna surgentes animos corruperunt, & quasi pestilenti quodam sydere adflarunt. Non vero vi ac robore argumentorum vincunt; sed ingenti magnificorum promissorum hiatu imprudentes ac propter judicii imbecillitatem nescientes verum fictumve discernere inescant, dum illos laboriosa bonorum scriptorum lectione & difficili scribendi exercitatione, quam ętas ista sponte sua detrectat, levant, otium, delicias, honores pollicentes, quas somniando, & desidendo nimirum sint adepturi. Nam quum intelligerent tantam esse harum artium præstantiam, ut argumentis, quibus oppugnabatur, deteri nullo modo possit, ratione & insidiis usi sunt, callidisque quibusdam commentis incautam ætatem circumvenere promittentes, quibus maxime capitur, dulcem inertiam & laborum immunitatem.

Quamvis vero nunc istos homines paucis possemus absolvere & jugulare opponendo eis spectatam apud omnes & pœne divinam prudentiam illustrium hujus urbis Procerum, virorum cum benevolentia erga hanc Academiam, tum præsentia & magnitudine animi ac consilii omnem laudem excedentium, qui si hæc studia nulli rei esse, nihilque præsidii aut ornamenti reipublicę adferre decrevissent, facile laborem in arcessendis, & sumptus in constituendis illorum Professoribus absque ullius reprehensione & invidia compendifacere potuissent, Æquius tamen cum illis agemus. Diluemus singula, quæ in nos evomuerunt, convitia, ne aut superbi audiamus, aut prævaricatores. Ut efficiant quod volunt insectatores horum studiorum, in eorum magistris accusant otium quod formandæ juventuti, & libris aut legendis aut scribendis impendant, quibus nos clamant affixos esse tanquam Sirenum scopulis, neque inde posse avelli, aut trahi, sive ad clavum reipublicę capiendum, sive ad subsellia frequentanda, ad causas discendas,

& li-

& lites æstimandas, aut quicquam eorum ambiendum, quæ tam ardentibus votis & studiis omnes cum maxime consectantur, utpote quę ad divitias & civiles dignitates lata via ducant. Inde nos tanquam vilis & abjecti animi homines traducunt, qui nihil altum & præclarum audeamus adfectare, sed in ignobili otio desidem & umbratilem vitam transigamus. Sed, o boni, quam bene nobiscum agitur si hæc est nostri fundi calamitas. Quod vos vituperatis factum, in illo & solidam gloriam & summam felicitatis humanę sitam esse sapientissimi quique ab omni ævo judicaverunt. Non dicam de Epicureis, qui, si vulgo credendum, malebant in hortis & actis suis tanquam voluptatum & deliciarum tabernis, desidiæque stabulis consenescere quam ulli negotio, nedum turbido Reipublicę operam suam mancipare: qui & Deos infelices fore prædicabant, si ullius rei cura sollicitarentur, aut prę-essent rerum humanarum procurationi. Hos tanquam homines communis sensus expertes, quorum sententia dudum explosa est, mittamus. Arcessamus Socratem, virum & morum sanctitate, & studio commodandi patriæ suæ unum omnium, qui unquam vixerunt, primum. Is Socrates licet esset prudentissimus tractande Reipublicę & a magistratibus Atheniensibus propense quidvis summarum dignitatum ipsi decernentibus ad illam capessendam incitaretur, nunquam tamen illorum precibus ac desideriis veniam dedit. Patrię tamen suæ tantopere cupiebat, ut vel ipso capitis discrimine, si res exegisset, ejus pericula deprecari non fuisset detrectaturus. Nimirum in animum induxerat divinus senex se de illa non posse melius mereri, quam si in formandis adolescentum, ac emendandis corruptis natu grandium civium moribus elaboraret. Si rectoribus sapientiam, justitiam, spectatamque ad id modestiam: Imperatoribus fortitudinem & moderationem, subjectis obedientiam & majorum legumque reve-

 ren-

rentiam, omnibus æqui bonique amorem ingeneraret. Ex ejus disciplina prodiit Alcibiades, qui maximi imperii subversi & recuperati auctor fuit, & unde stabat, eos victoria comitabatur. Ut ut vero propter pravitatem indolis remanserint quædam vitia, quæ diligentia Socratis extirpari non poterant, fuerunt tamen intra virtutes. Relinquo autem cum vestris animis putandum quanta monstra vitiorum in bonorum omnium perniciem & patriæ suæ exitium producturus fuisset Alcibiades, nisi ea Socratis doctrina minuisset. Hæc nobis concinnavit etiam Xenophontem unicum summi imperatoris exemplum, qui decem millium manu contra innumeras Artaxerxis copias, prostratis & ad internecionem cæsis auxiliis, in ipso hostilis soli meditullio incredibili fortitudine non pugnavit tantum, sed & vicit, salvamque & sospitem ex tot barbararum & fortissimarum gentium faucibus eripuit: totque horridas & incultas regiones emensam patriæ redonavit. Hæc autem ipse assignabat scholæ Socratis. Ex qua prodiit quoque divinus Plato. Quanta is prudentia potuisset rempublicam ttactare, si aut hoc ab animo suo potuisset impetrare, aut regibus id hortantibus & convitio quasi flagitantibus voluisset auscultare argumento sunt incomparabiles libri, quos de civili doctrina memoriæ ac posteris consecravit: sed contemplationem rerum cœlestium, meditationem virtutum, illisque alios imbuendi studium civilibus negotiis longe anteposuit. Alicubi testatur sibi nihil antiquius fuisse quam ut sua opera prodesset patriæ. At quum intellexisset se oleum & operam perinde perditurum, ac si cum effœta muliere in spem prolis consuesceret, utpote quæ conclamata sit, & nullas amplius salutares medentium manus patiatur, nec habenas prudentium rectorum audiat, se ab omni civili functione abhorruisse; præsertim qui exploratissimum haberet, non illam tantum, sed omnium gentium respublicas ęque male habere, hinc diis votisque esse relinquen-

das.

dus. Platonis diſcipulus & ſucceſſor fuit Ariſtoteles. Quantus autem hic eſſe potuerit in rebus gerendis teſtatum nobis fecit ejus diſcipulus, quem præceptis ſuis parem orbi terrarum fecit, qui ipſe fatebatur ſe plus Ariſtoteli quam parenti ſuo debere. Ne dicam de incredibili illa prudentia, quæ ex ejus libris quos de republica temporis & barbarorum injuria ſuperſtites nobis eſſe ſivit elucet, quibus nihil viget par ac ſecundum. Stoici ſapientem quidem non arcebant ab adminiſtrationibus publicis, nunquam tamen Zeno, Chryſippus, aliique illius hæreſeos principes ullam reipublicæ partem attigerunt. At forſan hos omnis ſapientiæ antiſtites noſtri accuſatores eorundem crimium, quæ nobis impegerunt, poſtulabunt, pręfati umbraticos eſſe doctores, qui non inutilia quidem de republica literis conſignarint, ſed ſi ad eam gerendam acceſſiſſent ęque inepti rectores futuri fuiſſent, atque ſtolidus & ignavus miles ille celebris ſophiſta qui præſente Hannibale de officio imperatoris ambitioſe diſputabat. Quis credat tantos viros non in uſu habuiſſe, quæ aliis præcipiebant; quibus tantum profligaverant in diſcipulis ſuis, ut non ornarent modo & vindicarent patriam, ſed & cum immortali gloria ejus fines longe lateque propagarent? Neque propter laborem, neque propter imprudentiam gerendi nolebant curam reipublicæ ſuſcipere prudentiſſimi mortalium; ſed quia credebant ſe utiliorem operam navare patrię, ſi aſſiduis doctrinis juvenes a luxuria ad frugem & virtutis cultum revocarent, ingenuiſque diſciplinis imbuerent, ut & ſeros nepotes utiliſſimis ac in omne ęvum duraturis ſcriptis erudirent. Ciceronis eadem ſententia fuit, qui in republica ab incunabulis fere immortali cum gloria eſt verſatus, eique ſe, omnem vitam, imo ſpiritum quoque & animam impendit. Is aſſeverat liquido neminem majus meliuſve reipublicæ munus afferre, quam qui doceat atque erudiat juventutem, his præſertim moribus atque temporibus, qui-

bus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda sit atque coërcenda.

Ite nunc nugivendi, clamate, nos alto otio, pinguique desidia torpescere, nihil patriæ commodare, si omnem operam, curam contentionemque conferimus in producendis ingeniis, quę aliquando Ecclesiæ & reipublicę maximas utilitates sunt præbitura. Sed videor mihi audire reponentium susurros nihil nostris studiis intercedere commercii cum istis. Me in alienam messem immittere falcem. Illos totos fuisse aut in investigandis, aut docendis altissimis & præclarissimis rebus: nos in anilibus fabellis, aut jucundis historiolis, aut comtulę orationis pigmentis omne tempus conterere. Ex quibus utilitatem in Ecclesiam, fructumve in rempublicam majorem non redundare, quam si nucibus luderemus. Divini olim, auditores ac augures, si quando audirent cornicem desinistra ilice crocitantem malum vicinis promittebant. Ego, & si divinitus nesciam, cano tamen, vobisque persuasissimum esse velim, exitiale fatum, ubi hæ voces jactantur, omnis præclaræ scientiæ prope abesse: ignorantiam & barbariem plenis passibus irruere, & cervicibus nostris imminere. Sane ante mille admodum & trecentos annos eadem via ad mortem litterarum & omnium bonarum artium interitum itum est. Despuo omen, & Deum obtestor, ut hic metus vanus sit, eoque si quæ pericula impendent, defungamur; vereor tamen ne eadem calamitate fastidium & contemptum sui præstantissimæ artes ulciscantur, magnaque mercede cognoscamus fabulas istas poëticas, historias, poliendæ orationis studium, quod isti tantopere exagitant, non esse res tam viles & tralaticias, in quibus nulla opera homini ingenuo ponenda sit, sed nec sine magnis sapientiæ incrementis posse disci, & gravi religionis & sacrarum legum jactura, fatalique omnium disciplinarum interitu negligi. Quod ut melius cognoscatis fœdusque

dusque error inanium reprehensorum penitus ex omnium animis evellatur paulo altius fontes nostrarum artium investigemus oportet. A vobis, Auditores, contendo, ne illa, quam adhuc mihi præstitistis, refrigeretur attentio, ac reliquum orationis meæ cursum, quem angustis spatiis circumscribam, destituat.

Studium exornandæ orationis, ad quod fabularum & historiarum cognitio in primis spectat, antiqui, & etiam nunc omnes ii, qui pretia rerum non instrumentis, quibus effectæ sunt; sed ipsis rebus metiuntur, eloquentiam dixerunt, quæ tam arcte cum sapientia apta & copulata est, ut nullum ferat discidium. Eloquentię enim fines longissime patent, qui non oratorum solum ac poëtarum gentem, sed totum disciplinarum ambitum complectuntur. Nulla est ars ac liberalis doctrina, quam eloquentia non obnoxiam ac quasi vectigalem habeat, quæve non ipsa sub ejus ditione esse cupiat. Omnibus enim, quas sibi vindicavit illa diva, splendorem ac venerationem quandam afflat, qua honesta magis ac venerabilis hominum animos advertunt & percellunt. Nimirum & virtus, quod poëta ait, in pulchro corpore venit gratior: & majestatem regum & principum, non magis illud excelsum fortunæ fastigium, in quo positi sunt, regni opes, & provinciarum amplitudo, quam dignitas corporis, purpura, sceptrum & insignia illa regia sanctitate augent, ut a tanta hominum multitudine adorentur. Omnis rerum præclararum scientia magna obscuritate involuta in abdito jacet: quam ubi homines ingenio sollertiaque acuti indagarunt, ac animo & memoria sunt complexi, promere vero & tradere aliis non possunt, ii nullum operæ suæ ferent pretium, nec fructum ingenii sui capient. Id enim quod scimus nihil est, si cum aliis non potest communicari: nihili sane fiet, si sordido & inquinato sermone explicetur, perinde ut dapes lautissimas, si in cœno oblitis vasis apponantur, homines non agrestes &

inhumani fastidiunt. Verum quando quæ subtiliter sunt inquisita luculenta oratione hominum insinuantur notitiæ, non solum tenebris, quibus erant circumfusæ, pulsis in illustri locabantur, sed & splendore suo mirificam sui admirationem & amorem in animis omnium concitabunt. Est enim quasi sol quidam rerum humanarum ac divinarum eloquentia, qui illos quidem primum ac maxime illustrat apud quos oritur, poëtas scilicet & oratores; sed deinde radios suos longe lateque diffundit, & lumen suum nulli invidet, nisi qui instar Troglodytarum id ipsi fugiunt. Natales vero pręstantissimæ disciplinę antiquitate origini sapientiæ non concedunt: certe in eodem sinu & contubernio utraque adolevit & fuit, ut ita dicam, corroborata. Antiquissimi mortalium, qui primi bene dicendi & recte sentiendi vias investigarunt, sunt poëtæ. Sic septem illi principes Gręciæ, Solon, Periander, Bias & cœteri, qui soli ea tempestate laude sapientiæ claruerunt, poëtæ dicebantur. Inde recte Platonis posteri existimaverunt Poësin esse Philosophiam antiquam numeris & fabulis involutam: Philosophiam vero poësin recentiorem perspicuis sensibus expositam sine numerorum & fabularum pigmentis. Prisci enim illi sapientiæ consulti poëtę omnes bonarum artium disciplinas ac sapientiæ studia recondiderunt sub fabulis, tanquam mysteria in cistarum ferculis, ad quæ adspicienda & tractanda non nisi eorundem sacrorum homines admittebantur, profanum vero vulgus a sanctissimis rebus arcebatur longe. Quam rationem postea quoque tenuit Pythagoras, ejusque disciplinæ homines, qui non quidem numeris constricta oratione; sed libera ac soluta, obscura tamen & operta usi, ænigmatum, gryphorum, ac symbolorum figuris & integumentis divinas, quas tradebant, scientias, celarunt, & quasi in reconditos ac famæ ignotos sinus abdiderunt ad quos nullus vulgo patet aditus. Volebant enium utrique ut sua prudentibus tantum & initiatis

essent

essent cognita, ne cunctis patefacta evilescerent, & tanquam res tralaticiæ impuris hominibus essent contemtui. In poëtarum gentem & sacra transierunt, qui ipsi Philosophorum nomen sibi imposuerunt. Hi a fabularum illecebris & carminum lenociniis abstinuerunt. Nuda & aperta oratione exposuerunt, quę illi astu abscondebant. Tantum vero abest ut abhorruerint ab ornandis iis, quæ dicebant, ut potius in polienda oratione summopere elaborarint, artemque recte illam excolendi & excogitarint & memorię prodiderint. Equidem Xenophontis Socratici, Philosophi excellentissimi, tanta fuit orationis suavitas ac dulcedo, ut non tantum apis Attica diceretur; sed & Gratias ejus sermonem finxisse, quin ipsas Musas ejus ore loquutas esse crederent. In Platone tanta fuit dicendi vis & copia, tantus splendor & gravitas, ut Jovem ipsum, si cum hominibus loqui vellet Græce, Platonis sermone usurum fuisse Cicero testetur, quo nemo unus rectius de eloquentia potest æstimare. Plato vero non fuit unus ex multis, sed qui Antimacho Clario unus fuit instar multorum, quem propter divinam Philosophiæ scientiam Philosophorum Deum veteres appellarunt. Nullus enim in omni memoria repertus fuit, qui & gravior intelligendi ac dicendi auctor esset, nisi forsan ad ejus discipulum & successorem Aristotelem laudis hujus societatem pertinere judicaverimus. Quo nemo fuit in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior, ut merito dubitarint an scientia rerum, an varietate operum clarior putandus esset: sane princeps omnes artes, quæ ante illum indigestę jacebant, composuit, & via ac ratione tradidit. Hunc vero propter orationis copiam aureum flumen fundere idem Cicero judicat. Istius gloriæ æque ut docendi provincię hæreditas venit Theophrasto summo Philosopho, qui a dicendi divinitate nomen invenit, quum antea Tyrtamus, postea ab Aristotele Euphrastus, tandem propter divinum os Theophrastus dice-

diceretur. Neque qui posterioribus temporibus Philosophi celebres floruerunt dicendi studium neglexerunt, & a priorum laude degenerarunt. Carneadis tanta fuit in disserendo vis, tanta eloquentia, tantum acumen, ut quibuscunque de rebus dissereret, sive confirmandas, sive impugnandas eas suscepisset, auditores attonitos in suam traheret sententiam. Quum aliquando ab Atheniensibus ad Romanos missus esset, in celeberrimo urbis loco magno conventu populi copiose disputavit de justitia, postridie idem disputationem suam contratria disputatione evertit, justitiamque ex rebus humanis sustulit, ut populus incertus animi penderet. quod ubi animadverterat censorius Cato quam primum legatos absolvendos censuit, quoniam Carneade disputante haut facile quid veri esset possit dijudicari. Quid dicam de Porphyrio, Jamblicho, Maximo Tyrio, qui vetere Academia instaurata Platonis sui laudem in conjungenda cum sapientiæ studiis facundia præclare tuebantur. Possem hic commemorare plures, si mihi per temporis rationem & vestram patientiam prolixo esse liceret. Nam omnes quorum scripta in hoc studiorum genere ad nostram ętatem emerserunt constanter hoc institutum conservarunt, ut a sapiendi doctrina non separarent artes dicendi. Paucis abhinc seculis demum hæc disciplina veterum mutata est, quum Philosophia ex arce illa, in qua plena venerationis ac majestatis in amplissimo cultu petentibus irreprehensa & divina ediderat oracula, a vastis & agrestibus hominibus indignissime deturbata est in loca squalentia ac horridum carcerem, ubi tanquam sordida & pannis obsita anus ægrum trahebat spiritum, & sub novis monstris ac portentis verborum tetrum ac virulentum exhalans odorem omnes liberalis ingenii homines a suo adspectu deterrebat. Fuerunt quidem nostra patrumque memoria qui miserabili fato Reginæ artium dolentes sordes abstergere, injuriæ maculas demere, pristinumque nitorem ac dignita-

tem.

tem, ei reddere condenderunt: ſed his ſemper reſtiterunt homines male nati, qui, neſcio qua ſiniſteritate ac fatuitate, delectati ſordibus ac fœtoribus illis maluerunt rudere quam loqui. Sed iſtius horæ aqua querelis non eſt perdenda vel ominis & auſpicii cauſa. Nunc vero intelligitis omnes puto, quæ ſit illorum immanitas ac malignitas, qui hæc ſtudia tanquam vilia & nullius rei otioſorum hominum commenta ad deliniendos tantum vana quadam titillatione puerorum animos nata traducebant. Magis patebit harum calumniarum futilitas, ſi libuerit rationem mecum inire eorum, quæ altiores, ut vocant, diſciplinæ noſtris artibus accepta ferunt, quod inſulſi & inconditi iſti obtrectatores non poterant videre. Religio, maximum humani generis pignus, non quidem ope eget & vindicta aliena, ſed tanquā in rupe inexpugnabili & arce maximi operis ſita, ſuis firmata præſidiis, ſuis tuta & beata eſt opibus. Muſis tamen olim utebatur perquam familiariter, quarum viciſſim merita in illam conſtiterunt ſemper plurima & ſumma. Cum his enim conſuetudinem conjunctam quamdiu habuit rerum Domina, ſancta, auguſta, & veneranda apparuit: ſimul ac earum uſum dimiſit confecta morbis, vulneribus, ſqualore non ſolum dignitatem ac divinum illud decus, ſed & ſanitatem perdidit, ut non ante cœperit confirmari, quam earundem Muſarum opera & miniſterio de integro deterſis ſordibus interpolata ac ſibi reddita valetudinem, vires, colorem recuperaverit. In quanto ſplendore fuit relligio, in quanto pretio pietas, in quanto faſtigio Eccleſia, quum in illa fulgerent Origenes, Baſilius, uterque Gregorius Nazianzenus & Nyſſenus, Chryſoſtomus, Cyrillus, aliique Græci ſexcenti, inter Latinos Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, ut cęteros prætercam. Hi ad ſacrarum litterarum intelligentiam, & reconditos ejus ſenſus indagandos, præter propoſiti ſanctitatem, tantum attulerunt eruditionis & eloquentiæ, ut qui eam non admirentur aut ſtuporem

ſuum, quod tam hebetes natura finxerit, deplorent, aut malignitatem, quod nolint agnoſcere divinitatem illorum ſcriptorum, accuſent neceſſe eſt. Aureæ iſtius ætatis progeniem excepit genus præſidum Eccleſię, pro talibus enim volebant haberi, quod ſicut a priorum eruditione, ſic & ab illorum caſta & innocenti vita aberat longe. Ii omnem curam & operam non ad proferendos pietatis & religionis fines, ſed ad augendam potentiam & conficiendas opes conferebant. Quorum inſolentia, ambitio, ruditas omnia ſuperſtitionibus implevit, omnia falſis opinionibus conſpurcavit, in ſcholas & Eccleſiam importavit Scythicam barbariem, omnibus denique divinis & humanis craſſiſſimas obduxit tenebras. Hanc illætabilem noctem oriens demum litterarum lux depulit. Tanti beneficii nomine Deo immortali levatis in cœlum manibus gratias agere libet. Hæreremus enim etiam nunc in tam denſa & opaca caligine, in illis erroribus, & letalibus opinionibus; premeremur nunc quoque injuſta illa importunorum hominum ſervitute, niſi Clemens Numen nos reſpexiſſet, excitatis viris divino afflatu perculſis, qui bonas artes & cum iis altiſſime demerſum verum protraxiſſent in lucem. Agnoſcamus per Deum immortalem tantum ejus munus ac tueamur. Tuebimur autem ſi cum recto de Deo ſenſu ac cultu conjunxerimus ſtudium bonarum artium, in iiſque imbibendis noſtrum ſtudium, & tempus pro-fuerimus. Sin ignavia ac faſtidio noſtro conſeneſcent ac extinguentur rurſus, brevi ille barbariei & ſuperſtitionum ex ea ortarum æſtus omnia reſorbebit. quod Deus avertat! De legum & juris civilis ſcientia non puto vos expectare ut prolixe narrem, quantum illi in litterarum elegantia & antiquitatis cognitione ſit repoſitum præſidium. Nemo enim neſcit quantis ſordibus, ſitu, ſqualore & prodigioſis gloſſis inquinata fuerit regia ars, ſic appellabatur a Platone, antequam orirentur Alciati, Budæi, Cujacii, Hottomanni, Auguſtini, Viri in tantum æſtimandi, in quantum eruditio intel-

ligi

ligi poteſt, qui hoc Augiæſtabulum purgarunt, priſtinamque formam ac ſpeciem ei reddiderunt. Quis erit homo tam ferrei oris, qui auſit Jurisconſulti nomine ſe venditare, qui non intelligat Senatusconſulta, prætorum edicta, publicas auctoritates, decreta Principum in Pandectarum libris utramque paginam facientia? Nemo autem intelligit, niſi qui linguam, qua conſcripti ſunt, ejuſque civitatis ritus, mores, inſtituta, res geſtas cognovit. Fateor, qui non juris, ſed litigandi ſolum prudentiam ſpectant, & in ſubſelliis habitare omnem ætatem decreverunt, poſſe hoc labore forſan ſuperſedere. Nam quemadmodum Celſus elegantias & veneres orationis morbos non deprecari ait: Sic in jure, quod Juſtinianus Medicinæ comparat, in quæſtionibus, cognitionibus & cauſis agendis dicendi apparatus, ut nunc eſt, nihil prodeſt. Verum aliæ juriſperitorum partes ſunt, quas implere non poteſt, niſi quantam contentionem adhibuit doctrinæ legum perdiſcendæ, tantam etiam contulerit ad excolendas humanitatis diſciplinas. Conſtat hujus ordinis homines aut ſolos aut præcipue mereri, ut ſummæ reipublicæ præficiantur, in Regum principumque comitatum & amicitiam admittantur, patriæ turbatas res componant, collapſas reſtituant, novis & ancipitibus obviam eant & prudenti ac diſerta oratione, qua hominum animos tanquam habenis flectunt, medeantur. Nonnunquam ſplendidæ ad exteros & longinquos Principes aut pro ſalute aut pro dignitate patriæ ſuſcipiendæ ſunt legationes, ſæpius cauſa Illuſtrium reorum orandæ, frequenter coguntur adeſſe amicis calumniis litium aut malevolorum hominum oppreſſis. Interdum ab iis, qui in regionibus alio ſole calentibus habent, ad expediendas difficultates Gordio nodo intricatiores implorantur. Quomodo vero ſingulis horum rite fungetur, qui nihil egregium animo concipere, nec, ſi quid concepit, venuſtatis juxta ac gravitatis pleno ore poteſt explicare? Iſtas illuſtres meditationes, hoc os rotundum nemo niſi

Musæ diu & assidue cultę dare possunt. Illæ non sunt ingratę. Amatores suos ac cultores mutuo amant, colunt, & in magno habent negotio, ut officiorum, quæ eis præstantur, ratio omnibus constet. Nisi temporis angustia excluderer, & in aperto esset Græcæ Latinęque linguę cognitionem illis conferre plurimum, qui pro vita ac salute nostra tanquam in statione locati dies noctesque excubant, possem jam velis laxatis in altum excurrere. Sed quis inficias ibit circumforaneorum agyrtarum potius quam Medicorum titulo censendos esse, qui malunt divina Hippocratis, Galeni, Dioscoridis, Theophrasti præcepta ex balbutientibus & nunquam non hallucinantibus interpretibus cognoscere, quam ab ipsorum disertissimo ore pendere? Vidimus quid a vulgo distent Gesneri, Mercuriales, Heurnii, Vorstii, qui quum Medicinæ studio se dedissent, non minore industria politioribus disciplinis impleverunt pectus. Quibus instructi artem suam Cimmeriis obsessam tenebris ex orco quasi revocarunt, & tam præstantissimis scriptoribus, quam nominis sui perennitati, hominumque valetudini optime consuluerunt. Quid quæritis, Auditores? Florentibus litteris omnes artes ac disciplinę, scientia divinorum oraculorum, cognitio juris, ars medendi, sapientiæ studium, pictura, statuaria, enituerunt: prolapsis litteris jacuerunt, nec ante potuerunt movere lacertos & emergere, quam eędem litteræ revirescerent & rursus erigererent caput. Litterarū cognitio est via illa regia & unica, quæ omnes omnium ætatum sapientes & doctos ad summam illam doctrinam & sapientiam, ipsamque immortalitatem evexit. Hac via etiam vobis, juvenes florentissimi, ad id fastigium enitendum est. Nulla alia patet. Nemo sit suæ saluti tam iratus ut sibi persuadeat se posse pervenire ad frugem, aut eximiam aliquam in ulla disciplina consequi scientiam, aut aliquid condere, quod ætatem, doctorum, posteritatisq; calculum queat ferre, aut recte etiam de aliorum scriptis pronunciare

ciare nisi hanc viam tenuerit. Impostores ac depravatores vestri sunt, qui aliam ostendunt. Agite igitur dulces animæ, strenue & alacriter hoc iter corripite, dum genua virent, dum occasio est. En me ducem vobis fidelem offero, sive comitem potius haut impigrum. In vestris incrementis & processibus mihi omnia posita esse decrevi. Nullum laborem, nullum onus, sine ulla temporis exceptione, subterfugiam, ut vestris serviam commodis. Utimini hoc homine. Quod si pro jure vestro feceritis, lęto proventu fundus vester florescet, & suo cujusque labori uberrimus constabit fructus. Vobis vero, Amplissimi Patres, quas laudes dicam, quo genere orationis gratias agam, qui mihi carissima vestra pignora, omnesque ingenuos juvenes, qui hanc litterarum & bonæ mentis officinam celebrant, fingendos ac formandos tradidistis? Quod ut mihi amplum est & sane quam honestum, sic perinde arduum esse intelligo ut vestrę de me existimationi, gravissimæ adversariæ, satisfaciam, vestrumque sustineam judicium. Sed nihil ego vestra hac erga me studiorum propensione dignum excogitare, nullisque verbis benevolentiæ magnitudinem exæquare possum. Totus vestri muneris sum & beneficii. Cogor bonam ejurare copiam & conturbare, nisi hanc tenuitatis meæ confessionem interpretari grati animi testificationem & obsidem volueritis, donec cultu, & observantia erga vos, studioque erga vestros liberos fidem fecero vos nec immemori locasse beneficium, nec infideli & parum de se, sibique datis partibus sollicito hanc provinciam mandasse, nec civem cooptasse degenerem aut vobis pudendum. Vobis autem, Clarissimi Collegæ, & qua quisque laude & scientia censetur, præstantissimi, me totum do. In vestra potestate semper ero. In id omnem curam, cogitationem, omnem denique mentem figam, ut usu, amore & obsequio vobis meos mores probem. Quod non ambitiose nunc multis inanibus verbis promittam, sed rebus repręsentabo.

D I X I.

MINERVÆ DAVENTRIENSIS

QUERELA

De immaturo diſceſſu

JOHANNIS GEORGII GRAEVII,

Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſoris,

Maximi literarum, quæ ab humanitate nomen invenerunt, Antiſtitis,

In Academiam TRAJECTINAM *evocati*

Anno Æræ Chriſtianę cIↄ Iↄ LXI.



O Decus, ô noſtræ quondam ſpes altera terræ,
Tâm citò dilectam, GrævI doctiſſime, ſedem
Prodis, & illuſtri deſolas ſidere gentem?
Gronovium quando traheret male fida ſecundis
In Batavos fortuna meum, Muſæque pararent
Cum fautore ſuo deſertas linquere terras,
Hoc metuens crudele nefas, ſtragemque Lycei,
Ac circumſpiciens pubem quis duceret orbam,
Exciperetque pari vacuas virtute cathedras,
Ilicet agnoſco multis de millibus unum.
Te vidi lapſis dignum ſuccurrere rebus,
Et vidi, & legi, ſucceſſoremque vocavi.
Jamque pios pariter nova ſpes affulſerat omnes,
Te fore, qui noſtros poſſet relevare labores,
Confirmare Deas, ac inſtaurare ruinam,
Affectumque tuum mirè ſtudiumque probabant,
(O cæcas hominum mentes, vanaſque futuri!)
Quum tu, fruſtratus nos & communia vota
Trajectum tendis, levis ab deſultor amorum.
Per tria Gronovium poſſedi luſtra, tuarum

Ad tres autumnos mihi vix data copia laudum.
Ipse quidem immitis, multum at tu sævior illo,
Qui dirâ, horresco referens, de clade recentes
Discindis plagas, & adhuc sine tegmine vulnus.
Ille mihi triplex gestat sub pectore ferrum,
Quem non discidium movit tam triste, movebat
Nam duras silices ac vivis mœnia saxis,
Et validas turres, & vasto robore quercus,
Quæque meam denso prętextunt agmine ripam
Expansis tiliæ ramis flevêre superbæ,
Naïadumque chorus, montanaque numina Fauni,
Et quoscunque Deos pellucida continet unda,
Effusis lacrymis magnum ostendêre dolorem.
Ipse sed ante alios Nymphis gratissimus amnis,
Amnis tergemini pulcherrima filia Rheni,
Si quando nimium stringens præcordia mœror
Voci præbet iter vacuum, miserabile carmen
Integrat, & surdas pulsans singultibus auras,
Te revocat, te luce ciet noctisque tenebris,
Te resonant totâ viridissima pascua ripâ.
Atque his continuis Isala attenuata querelis,
Ac gemitu depasta suo, ceu Sole tepenti
Cana solet primo tenuari mane pruina,
Sic macie male viva suâ tabescit & ægrè
In pontum exiguis lento pede volvitur undis.
At vos, ô Batavę, si verum ponere rebus
Jam tandem pretium, tandem didicistis Athenæ;
Fortunata quidem, & ferientia vertice Cælum
Oppida, sed nostris semper crescentia damnis,
Hæc promissa fides, jurataque pacta fuêre?
Junximus ante ideò socias in fœdera dextras,
Justius ut spoliis vos ornaretis amicis?
Usque adeòne placet peregrinę gratia prædę,
Ut non, exuviis mundi totius onustę,

Dextram possitis saltem cohibere rapacem
Fœdere conjunctis, sociæque relinquere egenti
Pignora, quæ fuerant mea spes & summa voluptas,
Pignora cara mihi velut unica filia matri?
Haud scelus admisit tantum, qui, mille beatus
Conjugibus, fidi sceleratâ mente mariti
De gremio castam solamque abduxit amicam,
Atque inopi sponso locuples subsedit addulter.
Quas cupidis autem tali pro crimine diras
Imprecer, atque isto dignas conamine pœnas?
Nunquam sæva suis satientur corda rapinis,
Cum spoliis sed crescat amor vesanus habendi;
Ac qualem lacerasse ferunt Erisichtonis ora
Pestiferam rabiem, quæ non placata manebat
Mille epulis, hoc plura petens quò plura vorabat.
Nec tamen inde suis sperent compendia Musis,
Sed tantas nequeant ingratæ noscere dotes,
Nec meritis censere suis, ac parta labore
Ærumnâque gravi parvi mox pręmia pendant.
Non secus ac latrans fęnilibus incubat altis,
Nec stramenta suo curat nimis aspera ventri,
Sed morsu cunctas subjectis invidus herbis
Defendit pecudes, ac victu privat amico.
Hanc illis mentem Nemesis justissima reddat,
Fraudantesque suos optato munere cives
Sint, velut ignoti quondam draco pervigil auri,
Vanę custodes, at commoda nulla laborum,
Depositi nullus servati suppetat usus.

GOSUINUS HOGERSIUS.

AD

AD EUNDEM.

Musis amicum pectus, atque Apollini,
Diserte Grævi: si quid exigui salis,
Farrisque paucum, mente libatum piâ,
Placere Divis possit: Accipe hoc rudi
Licet Minervâ carmen, & non dextero
Fusum calore, animumque devotum tibi.
Si vile quidquam, si quid insulsi sapit
Thalia nostra, ignosce tempori, & loco,
Queis degimus. Dolet & fateri proh pudet!
Quantum heic profundâ cuncta Barbaries premat
Caligine: utque invaserit mentes lues,
Atque ista pestis: qua nec Annibal ferus;
Aut fœdiorem Brennus insolens, sacro
Sacer Quiritum sanguine, intulit tuis
Romane portis. Quis furor vatum pater?
Quod, Phœbe, Numen Numini adversum tuo
Agit ruentem Barbarum? qui trux fori
Raptor Latini dictionis & styli
It jura subversum; & loquendi regulas,
Et quas diserto magnus ore Tullius,
Gravisque Varro, litterarum principes,
Fixere leges. Quod juventam inscitiæ,
Inertiæque pestilens sidus suo
Afflavit igne? quæ protervé & molliter
Compendio gavisa longe Tullium
Valere jussit, atque crudum umbratici
Stylum probavit, perque vocum ineptias,
Umbrasque rerum, invito Apolline, ad decus
Famamque tendit. Jamque ut exemplo stetit
Nefas probatum, nostraque ætas seculo

Petita Colchis, aut celer noſtro Tagus
Tranſmittat orbi. Hęc luxui & ſocordiæ
Emancipata pectora, & mentes ſuæ
Originis laudiſque ſecuras trahant.
Nos conſecrati Apollini, & Sororibus
Novem calentes, alacres luſtrabimus
Prærupta Pindi, quoſque multâ induſtriâ &
Sudore vallavit Deus Sapientię
Colles. Et heic tenelli ego inſtar Aſcanî,
A te locorum, gentiumque nobiles
Tractuſque, rituumque mores, & ſacra,
Venerande, diſcam. Quæque Troję anguſtiæ,
Et quæ ruina, quiſque fatorum vagos
Livor Pelaſgos orbe toto traxerit.
Ut cauſſa belli, cæde tot mortalium
Precioſa Forma, meſſe vix decumâ ſuis
Repetita Forma; cæli & æquoris Deos,
Et cuncta terrarum furore miſceat:
Adverſa Fatis Fata: viſque Cęlitum
(Amore calcato) fovens contrarias
Divulſa partes. Diſcam, ut Argivos minis,
Irâque turgidus ruat per cuneos
Animoſus Hector: vimque lati pectoris,
Ferroque & igne fulminantem dexteram
Obvertat hoſti. Diſcam Achillëi inſolens
Robur; nec ipſis improbata Pergamis,
Inviſa quamvis arma: Tum Priami ſenis
Miſerabilem ſortem: ultimaſque Urbi faces.
Sic nempe præpeti, Lacone nobilis
Parente, matri perque ſaltus patrios,
Sylvaſque avitas catulus it gratus comes:
Timidiſque cervis voce, odore, & ſaltibus
Inſtare diſcit. Sic cruentæ fervida
Proles Leænæ inhoſpitalem Caucaſum

Curſu fatigat, mox patri additus comes,
Rictus & ungues explicat, nec roboris
Capax ſui ſylvas & alta montium
Horrore torvo, & voce jejuna quatit.
Nil ambigendum eſt optimo auſpice & duce:
Conandum alacriter, probe, impigre, ſedulo,
Et cuncta tentandum eſt: repulſæ neſcia eſt
Studioſa gnavitas; laborque induſtrius
Sperare quidvis pollet. Hoc ergo freti,
Licet imperiti; non pedum veſtigiis,
Sed mente tecum fervidâ calcabimus
Lybicaſque arenas, ultimaſque orbis Gades,
Et regna quondam Barbaro Xerxi, & nigro
Regnata Poro: quæque Parrhaſis ſuo
Arctos adurit uſque frigore; & ferus
Nimbis flagellat Jupiter: quæque alluit,
Ditatque cultor & parens inanium
Nilus Deorum. Quidque rerum Græcia,
Armis, viriſque: quaſque durus arbiter
Morum Lycurgus, aut ferox fixit Draco,
Celebrata legibus, benigna Palladis
Nutrix; & artium repertrix Græcia:
Quid Roma tractet ſciſcitantes gentium
Superba victrix, ſive Martium ſago
Inſerta pectus, ſeu verenda nobili
Togâ profundum pariter & terras regat.

J. V. Duren.